


Leonagnus,

1681





7  
...  
...  
J  
J  
...  
P  
...  
S



72 MAGNUM<sup>73</sup> INTEREST

9

Antw. Ranke  
2. 11. 1890.

TOTIUS REIP. HERMETICÆ.

Sive

EPISTOLA II.

BUCCINATORIA,

1681

Ad

CLARISSIMOS VIROS,

JOAN. OTTON. HELBIGIUM, M. D.

JOAN. DE MONTE HERMETIS

Anonymum,

Ac

CÆTEROS MAGNATES HERMETICOS,

DATA


Ra 292

A

DUUMVIRIS HERMETICIS

FEDERATIS.

Quâ respondetur XII Quæstionibus Helbigianis, interpellatur Hermes à Monte, cum toto Senatu Hermetico, ut maturè despiciant, quid Reipublicæ Hermeticæ intersit.



GEDANI,

Sumptibus BRUNONIS LAURENTII TANCKEN,

Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETII,

ANNO 1681.

*Handwritten notes in green ink at the bottom left corner.*



SAPIENTIBUS HÆC PAUCA.

**S**imia dum nimio proles adstringit amore,  
Opprimit, & natos enecat illa suos.  
Quin etiam mater thalamo dum fovit eodem,  
Ipsa suæ soboli perniciosa fuit.

Et vos si nimium vestras premeretis ADEPTI,  
Arteis, hic durus perdere posset amor.

Invidus aggestum tellure recondidit Aurum,  
At Sapiens plures inde beare cupit.

**LIMUS** ubique jacet: Si solam poscimus Artem,  
Cur figulus figulos nolit habere pares?



*ACCINIT*

INTERNUNCIUS H H. FEDERATORUM.

AD LECTOREM PHILOCHEMICUM,

Προπαράγραμμα.



*N* eadem nobiscum navi vela fecisse videtur, quisquis Experientia magisterio doctior, agnovit, quod curis prioribus δευτέρας Φρονητικές σοφώτερας \* plerumq; superveniant.

Absolutâ enim, ac deinde per otium lustratâ, quæ sequitur, Epistolâ nostrâ, cœpimus nonnihil addubitare, an non ab ipsismet ADEPTIS, quos interim dari supponimus, argui possimus, præparcos nos, & circumspectos existisse in attingendis & evolvendis Arcanis Hermeticis: Hoc enim commisso, fortasse daremus ansam iisdem Adeptis, ut contra nos argumententur, ac forment sequentes Illationes.

Vos ipsimet Federati Arcana Hermetica magno studio velata in medium adfertis, licet ea vobis adhuc sint incerta, ac suspecta fidei: Ergo multo magis nos Adeptos difficiles esse convenit in iis communicandis.

Fatemur quidem ea in re nos catos extitisse, id tamen cœmente nos fecisse profiteamur, ne si discrimine nullo, dicenda tacenda locuti fuisset, infensos nobis redderemus Adeptos; neve ab iis damnaremur supplicio Promethei, qui ob revelata Deorum arcana, ac præsertim Saturni eorum Parentis, adjudicatus fuisse vulturi præcordia illius depascendi memoratur. Præterea secuti sumus in eo parsimoniam Adeptorum; an assecuti, judicent ipsimet.

Alterum contra nos telum vibrari posset hunc in modum. Videmus vos adeo tenaces esse in esserendis Artis hujus arcanis, ut ad ea velanda utamini numeris Cabalisticis operose indaginis; ac insuper timidis allusionibus, ut ab eorundem Arcanorum penetra-

\* posteriores curæ sapientiores.

netratione Tirones Hermeticos arceatis: Ergo timenda nobis non sunt minæ vestrae, ne Secreta Hermetica in Vulgus efferatis.

Ad istud Argumentum mallems μάλλον διαπραγματῶν ἢ ῥημάτων † respondere, si permetteret angustia hujus paginae: Prestabimus id enim verò in eo Opere, quod promittimus inferius Num. 7. maximè, si viderimus nos Cælo ac Terræ locutos, hoc est, si nostra hæc & præcedens, silentio fuerit excepta: ibi enim quemvis αὐτοψία docebit, quàm parùm Achillea sint, quæ in nos jaçtari fingimus, argumenta.

Interim tamen etiam ad istud alterum respondemus. Cùm nobis necdum constet, an ullibi terrarum dentur adepti. An Ars eorum sit realis, vel tantùm imaginaria, prudenter agimus tutiorem viam sequendo, ne quod volet irrevocabile verbum; cùm longè securius sit κατὰ ποδὸς βάσιν \*\* progredi, ac lentè festinare: quin imò eâ ipsâ re magnam gratiam inituros nos confidimus apud Adeptos, si præsertim hi probè expendierint omnia, quæ scribimus.

Quod si verum est, quod Chemicis jaçtare identidem solent, Artis Arcana non nisi à DEO, vel Amico obtineri posse; indignos autem specialiter obcæcari, ne in secretiora Artis adyta sese penetrare valeant, timendum certè non videbatur, ne quis ex abstrusorum enigmatum, vel numerorum solutione materiam adeò particularem edisceret; cùm hæc discursu potius elici debeat, è Principiis naturalibus ritè penetratis.

Si res poposcerit, ut vulgemus Buccinatoriam III. (ad id autem Adeptorum silentio compellemur haud dubiè) invitabimus eâ Curiosos omnes, & Artis Hermeticae studio flagrantes, impigros, & otio abundantes, ut federa nobiscum ineant ad facienda experimenta, sumptu tam exiguo, ut ferè nullus censeri possit: quam in rem habebimus paratos processus, de quibus inferius † potius factis, quàm verbis, \*\* pedetentim. Num.

Num. 6. Aperietur ibidem modus ineundi federis, & ubinam in illud sit inquirendum: ante omnia verò eximentur ibidem scrupuli omnes, qui circa Scientiæ nostræ certitudinem (nostram vocamus, licet ab Hermeticis Authoribus acceptam) suboriri cupiam possent; & hæc *Ἐπιδείξις*, hoc est, clavis demonstrationibus.

Inter Numeros Cabalisticos inferiùs Num. 34. allatos posita. sunt due voces CERA. STAL. è quibus ingens aliarum numerus Anagrammaticè potest elici: In his complurium materiarum fit mentio, ac inter eas Hermeticam quoq; Sapiens inveniet at prius agnoscat oportet. His fruantur Hermetici Curiosi; Hæveant, & Faveant!

CERA. STAL.

Anagrammata Latina.

Ars celat,	Ast clarè,	Sat clare,	Lacertas.
Sal creta,	Est clara,	Cras alet,	Sal arcet.
Ars lecta,	Sal creat,	Cras tale,	Sal cerat.
Sal arte,	Lar caste,	Ast lacer,	Lacta res.
Ars talce,	Sat lacer,	Sta lacer,	Lac ter as.
Lac resta,	Sal certa,	Sal recta,	Ter scala.
Scarlate,	Cras alte,	Cras latè,	Sta clare.
Ars lacte,	Lactares,	Re lactas,	Ac latres.

Germanica.

Salc aert,	Taler fac,	Slac aert,	Alter fac.
Staal erc,	Laer cast,	Atlas erc,	Real cast.
Alts aerc,	Alte sarc,	Last aerc,	Calter as.


Italica.

Cetra Sal,	Tra falce,	Tra scale,	Sta celar.
Esca l' Art,	Tra Sal' e,	La tresca,	E stà clar.
Lastra c' è,	Scartale,	Castrale,	La cresta.

Gallica.

L' Art a sec,	Sera Tale,	Car la est,	Sa clartè.
Ce rat las,	Sert ça la,	Ce sa l' Art,	Traces la.





NOBILISSIMIS, & CLARISSIMIS  
VIRIS.

DN. JOHANNI OTTONI  
HELBIGIO, Med. D.

ET

DN. JOHANNI de MONTE  
HERMETIS,

Nec non

Cæteris per Europam in Arte Chemica

PRACTICIS ADEPTIS,

CHRYSANTHUS LEONAGNUS, ET COSMUS SATUR-  
NATUS HERMETICI FEDERATI

ἐν πρῶτῳ.



Non vertetis, ut speramus, nobis vitio, Præ-  
stantissimi & Humaniss. VIRI, Tuque inprimis Præ-  
cellentiss. HELBIGI, quòd TE nominatissimum per  
Europam, & Indiam Philosophum, cum Anonymo,  
sed <sup>μ 2150</sup> (a) HERMETE eadem conveniamus Epi-  
stola, & eâ quidem nuncios (incertum an fausti omi-  
nis) in publicum debuccinante. Non licuit enimvero aliter agere  
cum Philosophis, eadem quidem Hermeticâ Scientiâ, diversâ tamen  
opinionem præditis; dum videlicet unius fixa sedes nos latet, alterius  
etiam nomen premitur, ut à nemine privatim adiri, & honorari pos-  
sit. Interpellamus autem vobiscum eos quoque PROCERES HER-  
METICOS, quos communia ejusdem Philosophiæ studia vobis con-  
junctos reddunt; ut & ipsi lectis in fronte hujus Epistolæ Vestris ce-  
leberrimis nominibus, ad eam evolvendam promptiùs accurrant, intel-  
ligantque, *Quid illorum, Quid nostra, Quidve REIP. HERMETICÆ intersit.*

2. Eò conatus nostri spectant, aut tendunt, ut horam trium unum  
succedat: Vel ut totus, qua latè patet, Orbis, errore quidem nostro,

(a) *Maximo.*

sed



sed magis Adeptorum ignaviâ, erudiatur, ac fiat Hermeticus: Vel ut nullus posthac eo nomine, tanquam infami à nobis reddito, glorie- tur: Vel ut nonnisi VOS nobiscum, Vestro munere inauguratis. Quanam verò id ratione contingere possit, est à nobis luculenter ex- positum in *Epistola nostra I. Buccinatoria*, cui humanitas Clariss. DD. Acad. CURIOSORUM locum dedit inter *Ephemerides Miscellaneas Ger- maniae ANNI IX.* quæ præterlapso Anno 1680. Vratislaviæ lucem publicam adspexerunt. Illic reperire cuique licebit ubertim, & ἀκριβέστερον (b) expositos nostros in Hermetico studio conatus, ac mo- limina, quorum vis & ἐπίγναισις, nî maturè prospiciatur, ad eos, quos vaticinamur, eventus perpetrandos vergit.

3. Cùm verò exactam ejus Epistolæ nostræ ἐπιτολήν (c) hoc loco texere non sinat rerum eâ contentarum multitudo, perimpensè ora- mus, ut ad ipsos illius fontes recurrere ne gravemini: Neque can- ctabimur eam utriusque Vestrum transmittere, dummodo certiores fiamus, ad quemnam locum, aut personam, à vobis assignandam, ea destinari debeat: Epistolis autem ad nos dandis ea via patet, quam ad calcem hujus nostræ indicabimus, Num. 44.

4. Summa igitur illius prioris Epistolæ nostræ hæc est. NOS duo Anonymi, in magnificis illis Hermeticorum Promissis curiosè ac studiosè indagandis confederati; non eo fine ut ditescamus, sed discamus, & adipiscamur in usus nostros Medicamentum tantopere decantatum; postquam privato studio ac diligentia penetrâsemus præcipua Hermeticorum arcana, (ostendimus id Epist. I. Buccin. c. 4. & patebit inferiùs) dubitantes tamen rationabiliter an non Ars ista, quæ apud prudentes, & magni nominis viros malè audit, quantum- vis hanc Authores tam antiqui, quàm recentiores, illorum vestigia calcantes, speciosis descriptionibus, ingeniosis verborum lusibus, & ambiguae significationis Fabulis & Ænigmatibus adumbraverint, illam velut ἀπίστευτοι πρὸς τοὺς πολλοὺς μυστήρια (d) passim ornando, dilaudando, ostentando; an non, inquam, Ars ista, & hæc præcipua illius Arcana sint omnino vana, hoc est pura phantasia, ac ingeniorum ἐν ἡμετέροις (e) commenta, quibus otiosi περιθαλαμοφρόνας (f) in corporis cujusdam na- turalis singulares condiciones subtiliter ludant, & credulis illudant.

† Eamob-

(b) Accuratius.

(c) Summam.

(d) Occultanda vulgo mysteria.

(e) Aptè excogitata.

(f) De minutis vamentis differentes.

5. Eamobrem rogamus actuales ARTIS hujus ADEPTOS, (si tamen isti alicubi terrarum reperiantur, de quo non futes aut temerarias ambigendi causas habemus) ut nos amicè & practicè dedocent istum errorem, si quem de veritate Artis hæsitando committimus, & nostræ speculativæ in Hermeticis Scientiæ, adjiciant humaniter Artem suam, & Praxin, iis conditionibus, quas obtulimus ibidem cap. 6. vel quas illi ipsi nobis dixerint non iniquas. Id autem transigi poterit sive per Epistolas ultro citroque mittendas viâ inferiùs indicandâ, sive meliùs per Internuncium integræ fidei, & in Hermeticis non omnino peregrinum, à nobis ad Adeptos ablegandum; qui ne ὑπόβλητος (g) esse possit, & utrique parti fucum facere, exstant in Epist. I. Buccin. quadraginta Sigilla Cryptographica, in eum finem concinnata, ut eorum solutione, ad cujusvis placitum imperatâ (quæ alioquin humanitas est solutu impossibilis) legitimus Internuncius noster fidem faciat, ἀναμφίβολον illud τεκμήριον (h) exhibendo, se à nobis ad Artis Adeptos ablegatum esse.

6. Hanc verò officiosam, & amicam Artis communicationem si intrâ breve tempus consecuti non fuerimus ab Adeptis Artis, hoc est practicè veritatem edoctis, & non tantùm speculativè scientibus præcipua & intima artis Arcana, quales nos quoque sumus; Verbo, talibus, qui sciant non tam speciosè DICERE, quàm reapse FACERE, quæ Ars ista pollicetur: si inquam, ad has nostras Buccinatorias nulla Echo responderit; tunc ut aliâ adhuc ratione certiores reddamur de hujus Artis veritate vel vanitate, assumemus in nostra federa sexcentos aut etiam plures viros industrios, & otio, quo nos ad ejusmodi tentamina destituimur, abundantes, ut hi experiantur aliquot Processus Operis, à nobis ad Authorum præcepta consarcinandos, & majoris commoditatis gratiâ typis vulgandos; occultatis tamen Cryptographicè pauculis vocibus, pro quarum intelligentia singulis illorum Federatorum Clavem tradituri sumus. Atque in hunc finem condidimus Cryptographiam Hermeticam Universalem, quam ad finem Ep. I. Bucc. videre licet, planè copiosam, & insolubilem.

7. Quod si hujusmodi Experimenta, millenis illis Federatis nostris communicanda, sive jam Artis ipsius, sive Artificum culpâ, non è voto nobis cesserint, vel certè sinistrè processisse ab insinceris fingantur,

(g) *Suppositivus.*(h) *Indubium signum.*

tur, tum verò nos perfuncti omnibus cautelis, quas in hoc negotio Prudentia suggerebat, eò adducemur, ut omnia, quæ hæctenus opinabamur esse maxima Secreta Hermetica, toti Mundo propalemus, edito Opusculo (cujus uberem Silvam jam conjestam habemus) cui Titulus erit; HERMETICÆ PHRENETICÆ ARCANA AT VANNA: in quo omnia, profectò ingeniosissima, humanarum mentium ludibria, in lucem publicam protrahemus; adferendo in medium, & apertè explicando, omnes illas arcanas, si Diis placet, Allegorias, Parabolas, Ænigmata, Fabulas Ægyptiorum, Græcorum, & Modernorum, quibus occultatur Subjectum Artis Hermeticæ, quod tunc suo nomine vulgo usitato nominabimus: exponetur Furnus & Ignis Hermeticus: Vas Operis, artificio paucis Recentioribus noto, ab Antiquis concinnatum, & alia ejusdem farinae; quæ ingeniosè quidem, sed nimis acutè, & invitâ naturâ, otiosi mortales excogitarunt, ut curiosis ingeniis crucem figerent, non sinè pretiosi temporis potiùs, quàm impensarum jactura; quas tamen etiam plurimi, dum vilem illam veterum Chemicorum materiam ignorant, profunderè consueverunt.

8. Nobis quidem hîc res potissimùm est cum illis sublimibus Aquilis Hermeticis, quæ (secus ac de iis vulgare fert Proverbium) captandis per âera subtilitatum culicibus, & muscis intentæ sunt; quas minutias alii contemnantes, aut ignorantes, talparum more, in subterraneos fossilium ac mineralium cuniculos sese demittunt, ut illinc depromant Subjecta varia, Chemicis operationibus congrua, è quibus per ignem exaltatis, *Tincturam*, vel ut illi vocant *Lapidem* se conficere gloriantur. Sed nec istorum mysteria nos latent, quemadmodum id colligi poterit ex iis, quæ Ep. I. Bucc. num. 39. disseruimus; ubi semitam hanc appellamus *Hypogæam*, ut distinguatur ab *Apogæa*, quæ Spiritum Universalem, & Salem naturæ in Aère venatur; nec non *Perigæa*, quæ pedem figit in Horizonte Terraqueo. Illi ergò Hypogæi Mineralistæ quanquam magis vero similibus innitantur fundamentis, in Antimonii, Bismuthi, Vitrioli, Mercurii, & Saturni cujusdam minera positis, in eo tamen apud nos fidem non inveniunt, quòd passim jactent, se Arte suâ non modò adæquare Naturam (quæ solùm dat Aurum & Argentum, non horum Tincturas) sed etiam longè  
B supe-

superare; videlicet multiplicando prædictas Tincturas, non solum in Quantitate, sed quod propè fidem excedit, in Qualitate virtutis, ad tingendum portentosissimæ.

9. Verùm demus hæc ità esse (stamus enim in bivio) opponimus tamen omnibus Hermeticis duo fortissima, *ἡ γὰρ πρὸς ἀνθρώπων* (i) Argumenta. *Unum est*; quòd de nullo hominum in Europa audiatur, qui trecentos, aut ducentos ætatis annos attigerit; istud enim posset attribui virtuti Elixiris illius, aut Panacææ, quam possessores illius haud dubiè potiùs applicarent vitæ conservandæ, quàm cumulandis opibus, quæ lutum sunt, ac vilis alga respectu valetudinis ac vitæ: & tamen verisimile est, fuisse semper, & exstare etiamnum in Europa viros artis hujus peritissimos; quod ex eorum libris in lucem editis colligimus. Alterum quod nos reddit ambiguos, in danda fide miraculis Hermeticis, est, Quòd in nullius Principis Europæi Gazophylacio inter curiosas ac pretiosas raritates habeatur vas aliquod è vitro malleabili; quem tamen effectum audacter pollicentur ii omnes, qui Lapidis possessores haberi volunt. Hæc duo præcipua sunt, profectò *ἄξια θαυμάζειν*, (k) quæ nos, licet Artis mysteriorum conscios, tenent suspensos, & hæsitantes.

10. Expositis hunc in modum præcipuis Epistolæ prioris capitibus, etiam atque etiam oramus, & adjuramus Artis Hermeticae Adeptos, ut si perspiciant, periculosis nos erroribus teneri, qui vergant in Artis perniciem (quam ut *ἐν πρῶτῳ βιβλίῳ* (l) moliamur, Absit!) errantes in viam veritatis fraternâ charitate deducant; utque pleniorum statûs nostri cognitionem adipiscantur, priorem Epistolam nostram evolvere ne graventur; in ea enim reperient, quæ hoc loco repetere non lubet, ne *πράμβην διασφῶν* (m) adferre videamur. Ibidem perspicient plures causas, ob quas in ea quam nacti sumus, Hermeticarum subtilitatum cognitione, adhuc nihilominus contamur, & *ἐπιχαρῶν*: (n) Nam, ut sapienter apud Thucydidem; *ἀμαθία μὲν θεῶν, λογισμὸς δὲ ὄντων φέρει*: *Inscitia confidentiam, prudentia cunctationem parit.* Sexcenta fanè proferemus exempla, in quibus, utat elegans ac rationabilis Theoria, suis Auctoribus imposuit, & corvos delafit hi-

(i) Ad hominem.

(k) Digna admiratione.

(l) De industria.

(m) Cramben bis coctum.

(n) Inhibemus assensum.

antes; *ἢ ἀνδραγαθὸς ὁ θησαυρὸς πύφουσι.* (o) Quæ in oppositum narratur Exempla prodigiorum Hermeticorum in transmutandis metallis, quàm cautè excipienda sint à quovis Argo bene oculato, & vigilante, ostendimus Ep. I. Bucc. n. 77. & seqq.

11. Venimus nunc ad XII. Quæstiones à Te Præcellentiss. HELBIGI Amicorum nomine propositas Fraternitati Rosæ Crucis; quæ tametsi ad illam unicè directæ sint, visum tamen est nobis, illos ultro-  
neis erga TE officiis prævenire, Responsiones formando ex ejus Philosophiæ Hermeticiæ placitis, cujus *θεωρίαν* possidere nos profiteamur: Ut intelligant, qui in eadem Principatum obtinent, nos Hermeticorum, quod præferimus, nomen implere conari, & *ἐπιλυσίαν* (p) mysteriorum huc pertinentium ultro prehensare; tametsi Omniscientiam cum prædicta Fraternitate, nequaquam nobis arrogemus. Has autem Responsiones eâ verborum claritate proponemus, quæ consciis arcanorum censebitur esse sufficiens in publico: nam si privatim nobiscum egerint Adepti, plura in aurem iis musitabimus, quæ coram tot arbitris effutire non expedit.

12. Ac primùm quidem non dissimulabimus, ambigere nos plurimùm (quod etiam testati sumus Ep. I. num. 79) de reali existentia Fratrum Ros. Crucis, de quibus à tot annis tantum silentium: immo suspicamur, totam illam fabellam de ipsorum origine ac *πληυμαθία* (q) vel ipse puram Ideam, qualis est illa *Domus Salomonis* apud Fr. Baconem Verulamium; vel ab uno quopiam curioso ac ingenioso viro rem totam confictam esse, ut ad suam familiaritatem homines in Chemia versatos pertraheret. Ambiebat ille fortassis Eques haberi non jam *Aurei velleris*, ne denominatio hæc, quamvis, aptior, æquivocationis ansam vulgo porrigeret: quocirca seipsum *Cruce insignivit Rosæ*; cujus originem, nî fallimur, sumpsit ab illa Rosa nobili Hermetica, quinis aut senis foliis constante, albis, fulvis, aut rubeis; prout nôrunt, qui sese in fodinas Hermeticas altiùs immisere. His autem suspicionibus ulteriùs insistendo, dici posset, Virum illum *ἐμπειρογύρατον* (r) sub nomine Jo. de Monte Hermetis latitantem, ostendere voluisse, se non abire à via Hermetica, quam calcare censebantur Equites

B 2

illi

(o) *Carbones thesaurus erant.* (p) *Interpretationem.* (q) *Multa scientia.*  
(r) *Expertissimum.*

illi Rosæ Crucis: unde huic consimilem assumpsit denominationem, quæ re quidem esset eadem, voce tamen aliquantum differret: Nam *Rosen-Creuz* / *rohte Creuz* / & *Aurea Crux* nomina sunt diversa; sicut etiam *L'ou des rohten Creuzes* / & *Aureæ Crucis Leo ruber*, non Grammaticè, sed Hermeticè æquipollent. Nihil itaque nos cogit, ut credamus, Fraternitatem illam etiamnum existare, cum id expressè non affirmet citatus Doctiss. Author: cujus genuinum nomen fortassis est illud ipsum, quod istis Characteribus in ejus Opere alicubi est expressum, D W W. F R C C P. 9. circa quos alias divinationes nostras præterimus, ut Quæstiones duodenas aggrediamur.

### QVÆSTIO I.

13. *Cur Homo dicatur à Mose creatus ad DEI similitudinem, & imaginem?*

RESP. I. *Theosophicè*. In Hebraico textu pro *Imagine* est  $\text{צֶלֶם}$  *Tselem*, quod significat *umbram* vel *adumbrationem*. Est igitur Homo juxta mentem Moyfis *Umbra DEI*, vel tenuis adumbratio; non ex eo, quòd Deus æquè constet corpore & spiritu, sicut homo, quemadmodum olim Antropomorphitæ sentiebant; nec quòd Deus in hominis creatione induisset humanam speciem; sed quia homo quoad mentem, sive animam, est in eadem Entis intellectivi classe, in quâ Deus & Angelus, & quidem solus ex omnibus Entibus sensibilibus. Prætereà homo quoad animam est unus individuus, ac simul quodammodo trinus, ob facultates Intellectûs, Voluntatis, Memoria: est anima immortalis; Liber ad agendum vel omittendum: omnia continens in suo Intellectu, qui ad mentem Aristotelis, *Intelligendo fit omnia*. Tandem respondendo *Hermeticè* ad idem quæsitum: Homo est quodammodo imago DEI in Omnipotentia, non naturâ, ut Deus, sed Arte, quâ naturam *μυεῖται*, illam, ubi deficit, adjuvando, & opera ab ea inchoata perficiendo. Sicut ergò Deus hominem plasmavit ex  $\text{אֲדָמָה}$  *Adama* sive *Terrâ rubea*, & huic indidit Spiritum incorruptibilem; ita homo Artis Hermeticæ gnarus, è *similis terræ limo*, subtili Spiritu imprægnato, conficit Ens incorruptibile, sive Lapidem illum decantatum, omnes contrariorum insub-

insultus superantem. In his autem si fallimur, & fallimus, non è nostrâ, sed tot honestissimorum Hermeticorum mente mentimur.

## QUÆSTIO II.

14. *Cur Deus Homini per nares halitum vitarum inspiraverit?*

RESP. I. *Theosophicè.* Præstitit id homini Deus, quia cætera animalia non indigebant hujusmodi inhalatione vitarum à Deo, quòd eorum animæ sint materiales, & à corporis organizati dispositionibus dependeant, & fiant à causis naturalibus; sive jam per evolutionem *Ideæ seminalis*, prout sentit, & explicat doctissimus Bohemus, D. Marcus Marci, in suo de Ideis Operatricibus Tractatu; sive per unionem corpusculorum subtilium & agilium, quæ sunt, aut *particulæ Luminis*, aut *Spiritus Catholici*, seminali fermento ad certam viventis speciem alligati. Sed cum homo præter vitas illas, ceteris animantibus communes, puta vegetativam & sensitivam, præditus insuper sit *Intellectivâ*, nec eâ qualicumque sed quæ procedit à *Principio immateriali* necessarius fuerat specialis Dei concursus ad creandum istud *vite principium*, quod est anima rationalis & immortalis, corpori ab extrinseco adveniens, solâ virtute Divinâ.

15. RESP. II. *Hermeticè.* Aër per nares attractus fertur per ductum cerebro propiorem, quàm qui ore hauritur: itaque priore viâ Deus inhalavit homini spiritum, ut initium vitæ nobilissimæ intellectualis, ab hujus organo, quod cerebrum, aut huic proxima pars est, caperet homo; disceretque, vitæ hujus Intellectualis functiones esse præcipuas in homine, à quibus voluntatis motiones dependeant, & in ipsas quoque Sensitivas operationes imperium. Præterea, quod caput rei est, Aër hic noster continet in se *res Divinæ* sive *caeleste quiddam*, è naturâ *Spiritus & Salis volatilis*, queis vita conservatur, & alitur: istud igitur vi Divini flatus, ut ita loquamur, coactum & concentratum, fuerat venis & arteriis primi hominis uberiùs immissum, ad vitæ functiones in eminenti perfectionis gradu obeundas; & fortassis ad eundem effectum præstandum, quem deinde *fructus Arboris vitæ* idem-

tidem assumptus, præstiturus erat: Hunc fructum credimus longè majori vi magneticâ præditum fuisse ad trahendum & corporificandum Spiritum Mundi, quàm TESSA, vel Siderites Sophorum.

### QVÆSTIO III.

16. *Cur Deus dixerit, non bonum esse, hominem esse solum & tamen ablationem non bonæ illius solitudinis longè pessimus Adami status secutus sit?*

Responsio facilis erit, distinguendo inter Bonum Malumque Physicum & Morale. Bonum Physicum toti us humani generis erat ejusdem propagatio, quæ absque feminâ, servato naturæ cursu, obtineri non poterat: at ex societate feminæ secutum est Malum Morale, quin & Physica mala, quæ mali esu sibi, viro, totique posteritati femina peperit. In eodem sensu Physico loquitur Apostolus 1 Cor. 7. κρείσσον ἐστὶ γαμήσαι ἢ πυρρῶσαι, meliùs est nubere, quàm uri: Morali tamen æstimatione idem ipse, tanquam melius, suadet: καλὸν ἀνδρῶσι ἐστίν, εἰ μὴ μείνωσιν ὡς καὶ γὰρ. Bonum est illis, si permanserint sicut ego: quanquam ἡ πλείους χαρῆσι τὸν λόγον τούτου (s) Matth. 19. 11. Quotusquisque enim est qui non existimet, se uxore ductâ in perenni victurum Paradiso? at sæpe fit *Mulier corona viro suo*, Prov. 12, 4. ejusque caput integrâ cornuum silvâ coronat, quâ illi quotidianum succendat, & alat iæfernum. Est igitur viro femina bona ex hypothese, quod bona sit, & ad bonum auctor eidem; quod tamen ferè infrequentius est, quàm quod vulgari Proverbio celebratur, γυναῖκῶν ὄλεσθαι. (t) Liceat ergò nobis hoc argumentum finire illo Tibulli l. 3. eleg 4.

*Ab crudele genus, nec fidum femina nomen!*

*Dispereat, didicit fallere si qua virum!*

QVÆ-

(s) Non omnes capiunt verbum istud.

(t) Mulierum infortu-



## QUÆSTIO IV, V, VI.

17. *Ubinam inveniatur pretiosissima & vilissima Aqua? Ubi pretiosissimus & vilissimus Aër? Ubi pretiosissima & vilissima Terra?*

RESP. Tres has Quæstiones unâ Responsione donabimus, & quidem prorsus è Tuo Clar. HELBIGI, voto, *clarâ & sine ullo tropo*. Dicimus igitur hæc tria inveniri πάντα ἐν πᾶσι, καὶ πανταχῶς. *Omnia in omnibus, & ubiq;*. Hoc est; Aquam pretiosissimam in vilissimâ Aquâ, Aëre, Terra: pretiosissimum Aërem in vilissimo Aëre, Aquâ, Terrâ: hanc pretiosissimam in vilissima Terrâ, Aquâ, Aëre. Hoc responso nil verius, clarius nihil: at quia fortasse cupis Cl. VIR, locum tibi monstrari digito, & dicier, hic est; idcirco

18. *Respondemus* 2. Hæc omnia & singula reperiri in UNO, videlicet MICROCOSMO Hermetico, quem Tu Speluncam, Magnetem, Chaos & Tessam appellitas. Sicut autem in Macrocosmo nutritrix omnium terra est, nec non basis, in qua cetera conquiescunt Elementa, ita pariter Terra Microcosmi Sophici pretiosissima, sed vulgo vilissima, sinu suo complectitur Aquam & Aërem Sophicum, adeoque pretiosissimum. At percontaberis ulterius, quonam in loco hæc omnia reperiantur? diximus quidem superius, *Ubiq;*, aut prescius loquendo, ferè ubique reperiri; indicabimus tamen etiam illud ipsum πού, vel UBI determinatum. Aristoteles l. 4. Phys. c. 4. Locum definit esse, τὸ σπικίδον ἢ περιέχοντι σώματι, *Superficiem Corporis continentis*. Hanc ergò philosophandi rationem qui sequitur, oportet dicat UBI Microcosmi Hermetici, ac etiam cujusvis alterius, esse superficiem, cum propriam, tum alienam corporis continentis in Macrocosmo, ubi sistimus, quòd non liceat εἰς ἀπειρον ἵεναι (u) alioquin curiosis percontatoribus proverbialiter respondebimus; ὅπου αἰεταφοὶ καὶ κέρυθα δροβάου; *ubi Cervi (æripedes illi Herculem fatigantes) cornua abjiciunt*. Tribus itaque illis Quæstionibus à nobis ita satisfactum esse credimus, ut à TE Cl. HELBIGI, Tuisque illis Amicis, Essentias cordiales Afæ dulcis, non jam Asiaticâ libertate § 6, sed Romanâ munificentia § 5. commeritos nos esse opinemur: vel ergò meritum nostrum inficiare, vel

(u) *in infinitum progredi.*

vel promissum Tuum imple, vel permitte, ut salvâ Tuâ gratiâ, vibremus illud Horatianum :

*Quid dignum tanto referet Promissor hiatu?  
Helbigius Tessa dignus lapidetur ut omni.*

## QUÆSTIO VII.

### 19. *Quisnam sit gravissimus morbus?*

RESP. Gravissimum morborum omnium esse Senectutem: alios enim morbos arte suâ curabiles esse jactant Medici, dummodo in iis non peccetur contra illud Ovidii.

*Principiis obsta; serò medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras.*

At Senectutis morbum, ne ipsi quidem Hermetici, licet longævitatem sperent ipsimet, aliisque polliceantur, depellere posse videntur: quoniam ex tot Possessoribus magni illius Elixiris, nescimus an ullus consecutus fuerit nomen *Nestoris* aut *Joannis de Temporibus*. Et quamvis aliquibus contingat viridis ac vegeta senectus, in eâ tandem per ἀταξίαν vires deficiunt, & pedetentim quotidie senes magis moriuntur: verbo: Omnia sub leges mors vocat atra suas.

## QUÆSTIO VIII.

### 20. *Quomodo fiat gravissimus hic morbus?*

RESP. A causis partim Intrinsecis, partim Extrinsecis. *Intrinsecæ sunt*, inprimis ipsa defectibilitas vitæ, communis omnibus viventibus materialibus: deinde quotidiana detrimenta spirituum vitalium, & calidi ac humidi, ut vocant, radicalis; quæ referri debent in ipsummet calorem internum, externum, permeabilitatem corporis, alimenterum inquinamenta, &c. Credibile quoque est ipsosmet ductus & organa corporis, quibus hauriuntur illæ particule *Lucis ætheræ*, ac *Spiritus vivifici* in aëre nidulantis, usu continuô velut callum quendam obducere,

obducere, ne congrua sibi capere, aut retinere queant restauramenta. *Ad externas causas* pertinet activitas Solis, & aëris hujus ambientis rapacitas, quibus fit, ut corporum quorumvis, etiam bene solidorum, effluvia, lucis & caloris activitate prolicita, aëri cedant in prædam: absque eo si esset, non haberent Hermetici aërem, magneticâ vi coagulatum, qui præbet fundamentum, in quo illi serio, & non ut Itali jocantur, *fabricano i Castelli in aria*. Istud autem esse Philosophiæ Herm. Principium, affirmavimus nuper in priori nostra Epist. num. 28. & seqq. ubi hæc pluribus enucleantur: quæ si cui non arriserint, mirum non erit, cum ne ipse quidem Jupiter omnibus: alienas autem Hypotheses nemo prudens damnat aut impetit, priusquam suas ita stabiliverit, ut ab universo Orbe Erudito receptas videat: adhuc enim Physica omnis est potiùs κήμη, quàm ἐμβροτον; quis non abortiet, sed pari & absolutissimam?

## QUÆSTIO IX.

21. *Quid & unde optimum Medicamentum?*

RESP. Tale est, quod omnes curat morbos; quam vim & efficaciam suæ Panacææ tribuunt Hermetici; Ab eorum igitur Arte illud petendum erit, & ab iisdem discendum, quidnam sit illa Panacæa, & unde petenda. Quia tamen eorum Interpretes hoc loco agere deerevimus, affirmamus, Universalem Medicinam peti debere è *Paradiso Hermetico*, in quo illi non modo Pomarium plantârunt, sed & hortum simplicium instruxerunt, herbis salutaribus consitum. In Pomario reperias Arborem vitæ, Arborem Scientiæ (atque utinam non inanis & infructiferæ!) Arbores Hesperias, μήλα χρύσεια (x) ferentes; Arbores pomis fructuum Solis & Lunæ onustas, Deuteron. 33, 14. Item eas, quæ pyra ac mala medica, muscata vel apia, & consimiles fructus producunt. At in Horto simplicium Hermetico quanta herbarum varietas? Heic visuntur Lilia, Rosæ, Martagon, Solaria, Lunaria, Chelidonia, Portulaca, Balsamita, Boryza, Bryonia, Heliotropium, Sempervivum, vitex, καὶ μύρια ὄσα; (y) quæ Chimæris Hermeticis areolas irrorantibus, succrescunt, & luxuriant. Placet nihilominus Hermeticos

C

(x) mala aurea.

(y) &amp; infinita similia.

ticos Tirones, animi saltem gratiâ, ad hunc Paradisum mineralem, in Utopia subterraneâ vernantem, sequentibus invitare.

*Huc propera quisquis languentis corpore cunctos  
Pellere vis morbos, unâ, validaq; medelâ,  
Et longum placidos senium proferre per annos.  
Hinc pete, qui rebus tantis primordia queris;  
Quodq; tibi visum fuerit pretiosius herbis,  
Arripe: non sumptu, prostat res ista labore.*

### QUÆSTIO X.

22. Quid Kabalisticè signum hoc Chemicum  
▽ significet?

RESP. Notum est vulgò Chemicorum, per illud Aquam indicari; sed si Kabalisticè ratiocinemur, dicimus è sensu quidem nostro, quod eo significetur  $\text{מַיִם שֵׁן}$  hoc est *Ignis ex aquâ*: Nam sicut Character Trianguli  $\Delta$ , quo Ignem denotamus, verticem sursum dirigit, eoque commonstrat Elementi sui ( loquimur hîc cum vulgo ) Sphæram sublunarem, vel veriùs Solem, utpote globum igneum, lucis mundanæ fontem; ita Character Aquæ  $\nabla$  cuspide suâ versus interiora terræ collimat, ut indicet Ignem subterraneos, mineralia digerentes, quibus analogos Ars Chemica instruit; ignes inquam aqueos vel humidos, ut sunt firmus equinus, agninus, balnea ac ceteri confimiles Artistarum, vulgo noti ac ignoti; quos inter est ille, quem Prometheus virgulâ suâ, cælo Solis admotâ, in terras detraxerat; ejus Sphæra non rarò latet eos quoque, qui Philosophi cluunt Hermetici. Non desunt quidem Chemicis Aquæ causticæ, quibus fortasse non incongruè nomen *Ignis-Aquæ* tribueretur; sed an Signum illud  $\nabla$  Ignem-Aquam representans iisdem competat, judicent qui Astrologiam  $\text{אֲסְטְרוֹלוֹגְיָא}$   $\text{וְהַאֲסְטְרוֹלוֹגְיָא}$  (z) exercent; hi enim non ignorant: cælum omne ac præsertim  $\text{ז. ד. ה.}$  à Kabalisticè idè appellari  $\text{מַיִם שֵׁן}$  quòd complectatur  $\text{מַיִם שֵׁן}$  Ignem & Aquam, & quidem in summâ puritate

(z) circum, & subterraneum.

ritate: quæ duorum intima unio in cælo Mercurii Sophici, ei nomen duplicatæ adferre consuevit.

## QUÆSTIO XI.

23. Quid in Kabala hoc signum Chemicum  $\ominus$  declarare velit?

RESP. Si Kabalisticè seriò nugari velimus, dicendum erit, circulo repræsentari Mundum, ejus autem Circuli bisectione repræsentatur קו ירוק *Linea flava* quæ circumdat mundum; flava non utcunque sed instar croci, aut vitelli ovorum; hinc enim color ex albo & rubro participat. Quod si loquamur è doctrinâ nostra Astronomico-Cabalistica, dicemus, rectam illam lineam Horizontem referre, non quidem Rationalem, sed Sensibilem, qui Terra quæ Superficiem sic attingit, ut ejus aliquam portionem auferat. Hinc non immeritò character ille Sali significando destinatus est à Sapientibus, quandoquidem Sal in locis saluginosis, aut marî adjacentibus efflorescit in horizonte, sive superficie Terræ. Quia verò tota globi Terraquei moles, comparatione cæli, punctum est exiguum, fit ut horizon ille tangens superficiem terræ, dici possit transire quoque per Centrum ipsius. Atqui Circulus cum centro, hoc est character  $\odot$  Aurum Philosophis indigitat, ergò duo Characteres  $\ominus$  &  $\odot$  *Salis* & *Solis*, habent se ad invicem, ut excedens, & excessum; hoc est, SOL & SAL Horizontalis, sive oriens, cœincidit cum Auro horizontali (quod certis in locis colligitur in arenâ defluentis aquæ) & Sale Naturali, pariter in eodem horizonte reperto: Quæ tamen ἀναλογία (a) quanquam claris terminis expressa, cum grano salis accipienda erit, quod non aliunde, quàm è Kabalæ principiis petendum, videlicet in *Binah* & *Chocmah*.

(a) *Proportio.*

EPISTOLA  
QUÆSTIO XII.

24. *Quomodo per Kabalam hoc Chemicæ signum ☿ explicetur?*

RESP. Rem oppidò magnam postulasses Cl. HELBIGI, Amicique Tui, si absque Kavala hoc est *ἀπλῶς* (b) Hermeticè, & ad mentem Chemicorum, signum illud à nobis, vel aliis doctioribus, exponi jusisses; at quia Kavalistici Tibi placent lusus, hoc est Metaphysicæ otiosorum Rabbidorum speculationes, cum his dabimus nostras quoque, adeoque non subtilissimas, in hac materia theorias, orantes, ne in re parvi fortasse momenti, magnique discursus, lectionis & applicationis tædio capiare. Supponimus imprimis, Characterem illum partibus omnibus integrum esse; dictum ab Antiquitatum peritis *Thautium*, ab auctore suo Mercurio Trism. quem Ægyptii *Thaut*, Alexandrini *Thot* appellabant: quanquam Abenephi Arabs ejus characteris originem altiùs repetat, dum ait, Hermetem à Chamo accepisse, hunc à Noè, istum ab Henoch, hunc à Seth, qui à suo parente Adam & iste demùm ab Angelo suo Raziël eundem didicerat. Porrò ad ejus characteris integritatem spectant duo Semicirculi, vel Arcus obversi, figuram  $\nabla$  constituentes, in quam is character infimo loco terminatur.

25. Hoc præmisso, dicemus quod à nemine dictum esse scimus ac proinde non ægrè feremus, si quem sententiæ nostræ auctoritas minimè permoverit; dicimus inquam, characterem illum olim occupasse summum in Tabulâ Smaragdinâ apicem, & hanc illius esse *ἐξήγησις*. (c) Id verò clariùs ostendemus in Opere nostro, quod superiùs Num 7. polliciti sumus, si quidem eventu rerum eò deducamur: nunc verò paucis multa Sipienti 441.192. Sol & Luna in vertice Characteris coruscantes analogi sunt iisdem inferiùs collocatis, & referuntur ad invicem tanquam *ἄνω καὶ κάτω* (d) Nam si duo Semicirculi hoc est duæ Lunulæ averisæ, quæ cornua Arietis efformant; ad invicem conversæ componantur in unum circulum, constituent figuram ☉ Solis, similem superiori. Neque verò temerè Sol inferior & Hermeticus,

(b) *simpliciter.* (c) *expositionem.* (d) *superius & inferius.*

meticus, five mineralis, duabus Lunulis ab invicem averfis exprimitur, quia Sol iste à naturâ relictus est imperfectus, & præfert Argenti speciem, quod è sensu Chemicorum, est Aurum album. Et quia istud adhuc vivens, & vernans est, nec ignem expertum, idcirco binæ lunulæ disponuntur in Characterem  $\nabla$  Arietis, quoniam istud Signum Zodiaci adfert initium Veris, & omnibus aliquâ vegetatione etiam minerali, præditis, vitam hyberno tempore sopitam, restituit.

26. At ubinam est Hermetica Luna, five inferior? Nec ista longius accersenda erit; jam enim paulò ante geminas in cælo Hermetico spectavimus: sunt siquidem duo hæc Luminaria Hermetica adhuc in Eclipsi, hoc est Solem Luna regit & eclipsat, prout in horum Luminarium conjunctione contingit in Macrocosmo. Non deest tamen, unde Lunam formemus Hermeticam: Linea enim transversa, & Horizonti æquidistans, aptissimè præter omnem opinionem vulgi, Lunam referet, quod ostenditur. Quælibet portio Horizontis Terraquei, tametsi videatur esse Linea recta, reverâ tamen est Arcus circuli: ergò Lunam falcatam repræsentat: ergò Luna Hermetica habetur in ipso Horizonte, & ejus qualibet portione, licet ea vulgaribus oculis talis non conspiciatur.

27. Omittimus alias Characteris illius  $\nabla$  (e) Analyses, quales est illa in Signum  $\nabla$  +  $\nabla$ . Tauri, Crucis & Arietis. Caput Tauri significat geminum illum *Apim*, *Solarem* videlicet ac *Lunarem*, ab Ægyptiis olim inter arcana habitum; eò quòd eorum opinione, *sub Bove*, (nos vitulum intelligimus) *habitaret genius, quem Animam mundi dicebant*, teste supra citato Arabe. Crux denotat quatuor Elementa: Per caput Arietis adumbrabant Ægyptii calorem humidum, generationis omnis in Macrocosmo principium. Hinc R. Judah in Sohar col. 469. ait: Ægyptios adorasse *Signum Arietis igne armatum*; credebant enim Arietem, vivum esse habitaculum AMUN, id est Solis. Sed de his satis: Sapientes enim rectè monent;  $\rho$   $\mu\eta\delta\epsilon\nu$   $\alpha\gamma\alpha\nu$ ,  $\alpha\epsilon\gamma\omega$ . (f) Quod si à nobis servatum non sit in quibusdam Responsionibus, id earum argumento difficili tribuendum; licet enim Kabalæ peritis hæc scripserimus, ii tamen erant docendi, quod adhuc ignorant; videlicet, *nos non nescire, quæ illi sciunt.*

C 3

28. De-

(e) *mysteriis plenissimi.* (f) *nihil nimium, optimum.*

28. Denique ut istis Quæstionibus adjiciamus aliquid de Tua Cl. HELBIGI, TESSA, ejus nomen inprimis considerabimus, à Te non absque Salis condimento conditum. Non sumus in ea opinione, in qua Tuus Commentator W. F. I. qui vocem *Tessa* ad radicēs Arabicas revocat; sumus enim evidenter, ac demonstrativè, illam & genus, & proavos è Latio traxisse. Quamvis igitur honestis orta sit natalibus, ejus Genealogiam, Tui nobis demerendi gratiâ, parcissimè tractabimus, sic tamen, ut Tibi constet, *Nos EAM, & EJUS Atavos, SATURNO satis haut ignorare.* Quòd igitur TESSA Latinæ sit originis, & per Casus Latinorum flecti possit: Hæc tessa, tessai, æ, am, &c. non poterunt inficiari Grammatici, si non ignorant, veteribus Latinis literas R. & S. permutari consuèsse; non solum in fine dictionis, ut *arbos, labos, honos*, & in obsoletis, *amos, vapos, odos.* Sed etiam in medio, ut *Auselii, Fusii, Papisii &c.* Itaque vox TERRA in TESSAM, si præsertim id exigat necessitas, (qualis est, ad ignaros vexandos) à Te transformari poterat, ac debebat. Sed de nomine satis.

29. Quod autem attinet VIREs proprias, quas VIS ALIENA TESSÆ TUÆ, intra viscera sua complectitur, & occultat, eas Tu quidem magnopere extollis, ac præsertim SALEM NATURÆ tot congestis Encomiis exornas; sed obsecro Clar. VIR, dic Eja!

*Ulla SALUS ne SALI, gremio quem TESSA recondit?  
NE sua sit vitæ VIS ALIENA, doce.*

Sanitatis enim Thesaurus omnibus Auri gazis præferimus, & has alio largimur iis, qui congerere laborant. Hujus itaque unius Quæstionis solutionem à Tua præstolabimur humanitate, VIR celeberrime, in earum vicem, quas καὶ τὸ δῶρον (g) expedire, & altroneâ alacritate TUO NOMINI dicare conati sumus.

30. NUNC ad TE Cl. JO. de MONTE HERMETIS nostra sese convertit Epistola. Plurimum nos Tua devinxit humanitas, & modestia, quâ nos cum Cl. Helbigio prolixius agentes, patientes auscultasti: nec illud, opinamur, inurbanum esse putabis, nos cum eo primo loco egisse, Tecum secundo; ille enim nomen suum  
in

(g) pro posse.



in publicum extulit, Tu personatus, & ut Itali loquuntur, *all' incognito*, Te Orbi literato stitisti; ut videlicet honores, quos Tua in Arte peritia singularis meretur amplissimos, modestè declines. Non feres, ut speramus, graviter molesteque, si quemadmodum Tu nobis & Orbi universo, de Tua Hermetica Philosophia peritia constare voluisti, ita vicissim nos Tibi dicamus, non in aurem, quod nobis esset optabilius, sed in auram hanc præterlabentem, nos omnia, quæ Lectores Tuos celare noluisti, intellexisse, non tamen inde magis doctos, aut ad Praxin expeditos evasisse. Inducimur ad scribendum eâ consideratione, ac etiam spe de Tua humanitate conceptâ, ut postquam cognoveris nos esse nec omnino rudes mysteriorum, nec eorundem incapaces Discipulos, nos ulteriori Institutione practicâ non existimes indignos: reperturus enim es pariter eâ præditos gratitudine, quam collati in nos beneficii magnitudo postulabit.

31. MATERIAM Hermeticam non modò acutè & Philosophicè, sed simul genuinè, & ad captum omnium definivisti, quod sit ein Universal Ergt. Item: *Primum Ens* ☉ & ☽ *nihil ab igne passum*. Præter evidentem hanc Definitionem Materie, eandem descripsisti subtiliter Ænigmaticè; ut & variis lusibus in diversis linguis; de singulis breviter. In Ænigmate Kabalistico, Græcum illud *Κόρα & Νέφος*, licet clarum sensum offerat *Nubis* vel aëris coacti, alius tamen occultior illi subest, quem datâ operâ prætermittimus. Quod attinet Epitheta illa Germanica, à Te Subjecto Sophico festivè attributa, & quæ profundâ Cabalâ non indigent, illis sic accinimus.

Nigropes oder Schwarzfuß  
 Will er weisse Füße haben?  
 Sich im Regen waschen muß/  
 Wie Kraut halb im Staub begraben.  
 Ist er aber Lamfuß?  
 Soll doch ein Lauff für sich nehmen?  
 Entweder er fallen muß/  
 Oder Stelzen sich nicht schâmen.

Etiam vox *Stigened* Germanos concernit Chemiæ Candidatos, quibus Anagrammate felicissimo, & ad rei naturam accommodato, producit  
 DUS

den Geist/ oder Steigend: Nam alia quæ inde formari possunt, vel ut *Gedstein/ und Degstein* prioribus illis æquiparanda non sunt.

32. Prætermisso autem *Misy* nativo, quod intrâ fodinas *Æris Hermetici* copiosè provenit, accedimus appellationem *Materiae* nomine *LECHEZECH*, ad imitationem *Duenech*. Vocis illius elucidationem qui tentare velit, Archontologiam Slavonicam apprimè perspectam habeat oportet. Igitur in eorum gratiam, qui accuratiùs Hebraicæ, quàm Slavonicæ linguæ radices callent, existimamus longè brevius *Materiam* appellari posse מלך *Melech* hæc enim vox Hebræis significat *Regem*: qui titulus Hermetico SOLI, tanquam minorum siderum Monarchæ, quamvis adhuc plumbeâ vel æneâ coronâ redimito, non incongruè tribui potest. Si cui μακρολογεῖν (h) placeat, per nos licet, *Melebezsch* appellare, vel etiam pluribus syllabis extendere poterit, ut linguam, & aures excruciet. Ceterùm nos in gratiam nationis Slavonicæ, *Materiam* apertè nominabimus *Blato-Zlato*, hoc est *Lutum*, è quo luteum metallum, sive *Aurum*. Verbo itaque uno, est *Lutaurum*.

33. Quod verò spectat Cabalam numerorum ad *Lechezech* pertinentium, de iis hæc est opinio nostra. Inprimis numerus vocis ad calculos Cabalisticos revocatæ, pro varia supputandi ratione nobis variat; consistit tamen inter hos terminos 12. 13. 14. In hac postrema hypothese noster Algorithmus vivas dat cyfras 7. pl. 1. mortuas 7, min. 1. At Quadratus ille numerus è septenario in seipsum multiplicato, videlicet 49. est legitimus, & ad rem præsentem appositus: hic enim divisus per 13. dat Quotientem 3. & Residuum 10. horum Summa est etiam 13. æqualis Summæ numerorum 4. & 9. quod in Cabala nostra non vocat mysterio.

34. Denique numerus *Natalis* 666. *Solutionis* numero 613. respondet adamusim: at quia è diversis Nativitatum punctis diversi calculo Astrologico deducuntur Horoscopi; ac etiam Solutiones in Artibus sunt diversæ: Nam & à Chemicis quædam viâ siccâ, aliæ humidâ solent institui, hinc in præsentis negotio pro variâ hypothese *Genethliacâ*, calculo nostro sequentes eliciuntur numeri.

(h) longius, ac sesquipedalibus verbis uti.

De

*Genethliaci**Analytici*

	C. 40.	— —	S. 46.	
De his	E. 44.	— —	T. 670.	vid. Præfat.
	R. 532.	— —	A. 336.	
	A. 666.	— —	L. 613.	

35. Tua Cl. DE MONTE HERMES Philosophici Furni constructio (non intelligimus Athanorem, ut ut eleganter fabricatum, sed ignem illum artificialem, de quo disputas cap. 10.) profectò ingeniosissima est, ac præsertim quoad carbones parandos è Cupressis, in quovis Europæ Libano crescentibus: Eâ sanè, rerum huc pertinentium, descriptione meliorem, vix ipse Salomon attulisset, quamvis condiderit Historiam naturalem à Cedro Libani, usque ad Hyssopum pumilum, qui egreditur è pariete. 3. Reg. 4. 33. Quia tamen carbones è lignis illis durioribus, in citato Capite enumeratis habent in praxi non contemnendas incommoditates, nos in eorum vicem excogitamus carbones eximie durationis, prout experientia suffragatur. Hi conficiuntur ex arbuscula quadam pasim fruticante, nec ad alios usus utili, nisi ut terram frustra occupet: prima tamen horum carbonum in sua Turri collocatorum accensio non procedet è voto, nisi arte quadam juvetur, quæ in aliis carbonibus durioribus est supervacanea; ut enim succendantur, S. V. rectificatissimo debent aliquantum humectari, dando operam, ut superna Turris spiracula sint probè clausa, alioquin concepta flamma in aërem erumpet.

36. Plura alia in Operis Hermetici Processu à Te Cl. VIR descripto placuerunt, præter ea pauca, quæ à nobis intellecta non sunt, quia non nobis scripta sed iis qui decipi se sinunt, dum iudicio destituntur ad discernenda superflua à necessariis, adulterina à genuinis, connaturalia ab extraneis, & à re alienis. Talia sunt illa quadam, quæ Capitibus 2. 3. 4. 5. sunt studiosè inspersa, dissimulatis interim, aut solùm leviter attactis necessariis Menstrui Universalis præparationibus; quæ *περὶ πρῶτου* ambiguum relinquunt Lectorem, nondum Colchicâ navigatione perfunctum, annon aliquæ operationes eò spectantes sint omnino prætermissæ, Tironum vexandorum causâ, vel an in illis ipsis superfluè traditis allegoricè descriptæ.

37. Hic modus tradendi Processum Operis est perincommodus iis, qui alia magni momenti negotia quotidie præ manibus habent,

D

nec

nec possunt solis hujusmodi Experimentis vacare; quæ fors ac vitæ conditio etiam nobis obtigit. Nos verò ità sumus animati, ut si Processus Artis in publicum scribendus esset, hunc quàm minutissimè, & exactissimè traderemus, occultatâ solùm Materiâ, & quæ cum ea connectuntur: sic enim hominibus ingeniosis, & qui aliis quoque Scientiis, & Artibus sunt addicti, vel publicis impliciti functionibus, ingens beneficium fieret; & nihilominus excluderentur ii omnes, qui prima hujus Philosophiæ fundamenta ignorant: Nam totum vitæ tempus Artis hujus tentaminibus, & erroribus impendere, sepositis prorsus aliis negotiis, est eorum tantùm hominum, qui opibus, honoribus, & magnatum applausibus avidè inhiant, nec suâ sorte contenti, privatæ vitæ tranquillitate gaudent, ut honestam in Scientiis & Artibus quærant, & capiant animi oblectationem.

38. **A**D VOS tandem ceteri Illustres ADEPTI HERMETICI accedimus, Vos hac iteratâ scriptione nostrâ comiter interpellantes, ut horum trium veritatem exploremus. Primùm an alicubi terrarum in Europa nostra reperiamini. Deinde, an Ars quam profitemini, præstet ea omnia, quæ pollicetur. Denique an eandem Artem pluris faciatis quàm nos, qui toti ferè Mundo eandem propalaturi sumus, si Vos nobis duobus id officii præstare cunctati fueritis.

39. Videbimur quidem vobis *Rem Magnam postulare*; nam rectè Aristoteles ad Nicom. l. 9. *Ἐὶ γὰρ οἰκεία, καὶ ἂν διδόναι ἐκάσῃς φαίνεται πλεονεξία.* *Sua cuiq; & quæ dat, videntur esse magni pretii*: at si rem curatiùs expenderit, nihil propemodum arcanæ in hac Philosophia Scientiæ in nos conferetis, præter *Operandi certitudinem*, omni sollicitudine liberam; quam nisi nanciscamur, Experti cujuspian Roberti vel Alberti fide subnixam, nequaquam mentem aut manum, aliis muniis in publicum utilibus occupatas, huic operi admovebimus: Quamvis enim non destituamur ingenio ad internoscenda ea, quæ in Processibus Operis vel prætermissa sunt ab authoribus, vel superfluè assuta, nolumus tamen eâ cogitatione quotidie pulsari: *fortè sic res non succedet? fortè sic aliter meliùs institui potuisset?* Unde malumus id totum quod scimus in Vulgus Curiosorum hominum spargere, ac nobis eos titulò gratitudinis obstringere, ad enucleatum Operis processum vicissim communicandum.

40. Nec

40. Nec existimate VIRI Sapientissimi, quòd nos *φιλαργυρία*, vel *aurei sacra fames* vehementer sollicitet, & in his consiliis præcipites reddat; possumus enim DEUM testem appellare, nos hanc scientiam nostram ab Anno seculi hujus 1660. silentio tenuisse, absque magno ad praxin tentandam pruritu, sed privati tantùm oblectamenti gratiâ; at nunc ætas quotidie magis ingravescens suadet, ut ex ea fructûs quidpiam capiamus, ad valetudinem conservandam; tum etiam, ut experientiâ discamus, nos hæctenus non inanes umbras, & somnia amplexatos fuisse.

41. Plures duabus his Encyclicis epistolis promittere non ausimus; nam & ad istam publicas inter, ac privatas occupationes subserviis horis exarandam, vi quadam opus erat: multò minùs à nobis expectentur Responsiones ad ea, quæ contra priorem nostram, Virum Doctissimum 98. minatu esse intelleximus; nisi fortè scribentis humanitas nos ad referendas officii vices coëgerit: nam cum triconibus funem contentionis ducere, nostri non est instituti, at convitia in nos jactata silentio diluentur, in quo victoriam ponimus, sapienti gloriosam. Ceterùm non egemus Syllogismis, quibus probetur metallicæ transmutationis possibilitas, aut alicubi factarum veritas ab imposturis, ac fucò vindicetur; quales subesse potuisse monuimus Ep. 1. n. 78. dubia enim nostra versantur circa res ipsas, ac proinde non verborum argutiis, sed rerum momentis dissolvenda sunt.

42. Denique Epistolas nostras direximus, non ad quosvis Hermeticæ Philosophiæ studiosos, sed unicè ad *Adeptos Artis*: si quis igitur maluerit, nos publicò scriptò arguere, quàm privato convenire, ante omnia in fronte suæ scriptiõnis exprimat, quòd sit *ἔργω πειραθεὶς καὶ διδαχθεὶς*, sive *realis Adeptus Artis*, & *Lapidis possessor*, & quidem eâ quantitate, aut qualitate confecti, ut vim suam extendat ad tantam auri copiam parandam, quanta privati homines opes notabiliter excedit: Nam in minori quantitate, Tincturas ex auro præexistente per artem educi, & concentrari posse, non negavimus Ep. 1. n. 77. Quod si quispiam Adeptus existimet à nobis esse scriptum quidpiam, Arti vel Artificibus minùs honorificum, ac proinde publico scripto refutandum; tum quisquis est hujusmodi, priùs nos errorem dedoceat, practicis in Arte, & palpabilibus argumentis, ac tum nos ipsi pollicemur

Buccinatoriam III. in lucem incunctanter edendam, quia nostros errores damnabimus ipsimet, & configemus.

43. Superest ut quod superius polliciti sumus, indicemus viam, qua Epistolae ab Hermeticis Philosophis ad nos dandae, ad manus nostras perferantur. Ea vero est illa ipsa, quam in priori Epist. nostra Num. 47. indicavimus. Optabamus quidem hic aliam monstrare, eò quòd nonnulli leviter suspicaces, existimaverint DD. Academicos Curiosos Vratislaviae commorantes, authores esse prioris Buccinatoriae, ac Federis Hermetici, qua quidem in re vehementer hallucinantur; Quia tamen unius cujuscumque hominis, hic eam in rem nominandi, vita magis est obnoxia humanis casibus, quam plurimum in idem consentientium, visum est nobis, ut perstemus in proposito, & gratiam illam à DD. Academicis per Amicum nobis humaniter oblatam, exosculemur etiamnum. Nequis tamen in illa sua falsa opinione hoc ipso magis confirmetur, hanc alteram nostram inconsciis planè DD. Academicis Curiosis in lucem damus, ut isti cuivis importuno Theoni aut Aristarcho jurare possint, se aequè prioris illius, atque hujus alterius Epistolae Authores esse, hanc autem alteram, se omninò inconsciis, multoque minus cooperantibus in lucem datam esse, à genuinis utrisque Authoribus, quos ipsimet DD. Academicis ignorant.

44. Modus igitur ad nos scribendi est, ut Epistolae ad nos exaratae & obsignatae, detur haec Epigraphe sive Inscriptio. DD. Duumviris in Philosophia Naturali federatis. Haec autem Epistola includatur Invulcro, cui danda erit sequens altera Inscriptio, ut sequitur.

*Clariss. & Praeclariss. VIRIS*

**DD. ACADEMICIS Naturae CURIOSIS**

*Medicinae Doctoribus, nec non Ephemeridum*

*Germanicarum Collegioribus &c.*

VRATISLAVIAE in Silesia.

In der Apothecken auff dem Nasch-Markt abzugeben.

Ceterum agitur hic solummodò de ratione primam Epistolam ad nos transmittendi, nam pro aliis ultro citroq; misitandis, alias occasio-

nes

nes nos ipsi posthac suggeremus, dummodò nobis exprimatur *Locus* & *Persona*, ad quam nostras vicissim dirigere debeamus. Illud tamen monemus, Responsorias à nobis aliquantulo tardius obtinendas, eò quòd Epistolæ ad nos, & à nobis currant per circulos & amfractus viarum, id tamen citra periculum alterius jacturæ, quàm temporis.

45. Hoc Tempus monet, ut finiamus. Te itaque Clar. HELBIGI quem priorem allocuti fuimus, priorem quoque valere jubemus, oramusque ne flocci pendas, quæ à nobis in hanc & præcedentem Epistolam conjecta sunt: nec enim quæ prædiximus secutura, sunt inania planè, & infantilia terriculamenta, firma sed in nostro sententia pectore sedit. Succurrat in mentem illud Gallis familiare:

*Qui peut empescher, & n' empesche,  
Tout aussi bien, que l' autre peche.*

Non cogimus ad beneficentiam, flectimus humanitate precibusque, quæ si repulsam passæ fuerint, nequaquam coeptis abistemus, sed ad diu, maturèque deliberata progrediemur consilia: quæ licet fortassè Tibi vel aliis videantur à re aliena, aliis tamen capitibus aliæ sunt sententiæ, & *chacun le fait, comme il l' entend*: non enim de alienis, sed nostro labore partis disponemus.

46. TIBI verò *πολυμαθητων* de MONTE HERMES id Encomium ex animo adprecamur, ut *Noster in Praxibus Hermeticis Phosphorus* & Antesignanus audias. & gratiarum Hecatombe colaris. Si nullum in nobis meritum invenis, deprehendes tantò majorem posthac gratitudinem, quam TIBI MAGISTRO invicem magni Minervalis debimus; Fontem nostrum, si non aureis, at certè perenne virentibus ramis coronaturi. Respondebit, ut speramus, nostro Germano candori TULLS non inferior, idque non verbis modò, sed & effectu à nobis expetito, nemlich *Teutsch und redlich*; dann sonst wir lassen uns nicht auß der Tusch bringen. Non perdes quicquid in nos contuleris, velut Sol, qui non exoratus exoritur & inaurat omnia, nec tamen his munificis largitionibus deficit: unde TUA summa est felicitas, posse alios felices reddere, non alienando erogata, sed Amicos acquirendo.

47. VOS


30 EPISTOLA BUCCINATORIA II.

47. VOS denique Sapientiff. ADEPTI admittite, ratumque habete, nostrum hunc ad Vos veluti supplicem Libellum, quem nobis prudens & cordatus erga vestram Artem affectus expresit: Non procamur illam tanquam pellicem, insanis amoribus immolandam, sed ut Sponsam casto, stabilique jungendam connubio, è quo non numerosam, aut nummosam prolem, sed geminas duntaxat *Scientie ac Vita plantulas* exoptamus: Hanc postremam VOBIS vivus & angularis LAPIS, noster Servator, ut donet Nestoreis & Mathusalæis annis devotè adprecamur. Vivite felices, quibus est Fortuna peracta sua! & eandem Favete

Dabamus Cosmopoli Junio  
Anno 1681.

*VESTROS ad nutus paratissimis*

HH. FEDERATIS.







Ra 292


1000

ULB Halle  
007 398 328

3







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

INTEREST  
HERMETICÆ.

9

LA II.


TORIA, 1681

S VIROS,  
BIGIUM, M. D.  
HERMETIS

n,  
HERMETICOS,

HERMETICIS  
IS.

us Helbigianis, inter-  
o Senatu Hermetico,  
d Reipublicæ  
rfit.



ENTI TANCKEN,  
ICI RHETII,  
I.